

Nf. 22.

In hoc volumine continentur.

Bertrami de singularibus Anglorum in Eruditionem
Orientalem meritis.

Dohsted de Cyrillo Lucari.

Boyer Eclogae Archaeologicae ad iter Pauli.

Hensche de Usu Librorum Apocryphorum.

Derling de more inveniendi Stigmata vetust.
de servitibus Literarum

de consuetudine proponendi Enigmata
apud veteres.

Freyeri Oratoria.

Guadling Laudatio funebris de Printzen

Heineccii de Juris Consultis Christianis
de genuina Nativitate Christi aera

Hübneri Fredericus Bellicosus. Acad. Lips. fundator
de Medio Geographico.

Gnebel de anno et die Nativitatis Christi

Lange. de Therapeutis in Aegypto.

et. De Esais.

Leonis de somnio uxoris Cilati

Losii Hebraeos veteres Christum Deo seorsum quasi iussit.

Siquantus nunc Diss. D. Jo. Henr. M. S. et A. 1711

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ Philologica de Becki Diss. Philolog.
ad examen Beckii Responsio.

Lectionum Auspicia.

De peculiaribus Hebr. loquendi modis

De triglo. Di.

Contestio Fidei Claudii

De Editionibus M. S. et A.

De Angelo Interprete

De textu N. T. graeco

Historia linguae Arabicae.

Vente.

C. B. MICHAËLIS

De Nominibus Christi Dignam eius Naturam
Significantibus

De nominibus Christi conanitione designantibus

De Jeremia.

De Proverbiis Salomonis.

Lectiones Publicæ et priuatas.

De vocum Seminibus, ac litterarum signi-
ficatione Hieroglyphica.

De Elipsis Ebriet.

De Hebræa et adscribitur Orientis linguæ e Græca
derivandis Refutatio.

Per

LEITZONII

Wesertatt. Tring. ed. Heineccio

ZOGINBILIGS

Grammatica Damaica.

DE
GENVINA
NATIVITATIS
CHRISTI
AERA

DISSERTATIO HISTORICA,
Numis & inscriptionibus antiquis
illustrata,

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORVSSÆ, MARCHIONE BRANDENBVRGICO,
ET DVCATVS MAGDEBVRGICI GVBERNATORE, &c. &c. &c.
AMPLISSIMA FACVLTATE PHILOSOPHICA

benevole indulgente
IN ACADEMIA FRIDRICIANA
d. Septembr. clo 1000 VIII.
H. L. Q. C.

Publico examini exponet
P R Æ S E S

M. IOANNES GOTTLIEB HEINECCIUS,
Eisenberga Osterlandus,
ET RESPONDENS
IOANNES FRIDERICVS KESLERVS,
Magdeburgensis Saxo.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ, LITTERIS Salfeldianis.

DE
GENUINA
NATIVITATIS
CHRISTI
AERA
DISCRETIO HISTORICA
Nimis & inordinatus audax
liber
Omnium
LECTORUM MANUICANTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPIS DOMINO
D. PHILIPPO WILHELMO
FRANCO FORUM. M. THOMAS BRANDENBURGO.
et aliorum in conspectu de
APPELLATA FACULTATE THEOLOGICA
IN ACAD. THEOLOGICA
d. theol. doct. III
H. O. C.
M. JOHANNES BAPTISTUS MURICIVS
IOHANNES BAPTISTUS MURICIVS
M. JOHANNES BAPTISTUS MURICIVS
HABET MURICIVS MURICIVS





De
GENVINA
NATIVITATIS CHRISTI
AERA
DISSERTATIO HISTORICA
Numis & inscriptionibus antiquis
illustrata.

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

- §. I. Numorum & Inscriptionum auctoritas & praestantia.
§. II. Ea etiam in historia ecclesiastica sese exerit. Pontificii tamen hic sepe ineptiunt, §. III. Scopus Dissertationis. §. IV. Cur aera genuina Nativitatis Christi hodiernum tam obscura sit? Christiani quas aeras usurpauerint? Quando Dionysiana publice recepta?
§. V. Monumenta antiqua, aera Christi signata, supposititia sunt. Veluti gladius Constantini M. Literarum Gothicarum origo. §. VI. Numus Constantini M. supposititius, ut & eiusdem nota Inscriptio Spoletana. §. VII. Num aera Christi in numis medii aevi occurrat? Numus bracteatus Bernardi Ducis. Cui
A 2
fre

fra Arabica numeris Romanis intermixta. §. VIII. Quot vis monumenta ad genuinam Christi aeram adducant? §. IX. Prima via. Chronotaxis Herodiadum. Numus Herodis Antipa describitur. §. X. Eius yvnoictns ostenditur. §. XI. Herodes Antipas regnare cepit anno Jul. XLIII, quod demonstratur e numo, cum Iosephi chronologia collato. §. XII. Nec non ex chronotaxi imperii Archelai. §. XIII. Ut & ex chronotaxi imperii Philippi Tetrarcho. §. XIV. Harduini diversa sententia reiicitur. §. XV. Quantum temporis inter obitum Herodis M. & imperium Antipa intercesserit? Annus emortualis Herodis M. fuit Jul. XLII. §. XVI. Id quod demonstratur testimonio Iosephi, & ex eclipsi lunari tum facta. §. XVII. Quantum temporis inter natalem Christi & mortem Herodis effluerit? Dies natalis Christi obscurior. Observatio de XXV. Decembr. in ecclesia occidentali recepto. Annus tamen verus apparet ex epocha templi Herodiani. §. XVIII. Via secunda. Censu tempore natiuitatis Christi actus fuit vniuersalis. Bynai sententia examinatur. §. XIX. Censu hic illustratur ex monumento Ancyrano, cuius historia traditur. §. XX. Fragmentum huius monumenti adfertur. §. XXI. Idem explicatur. Chronotaxis censuum Augusti. §. XXII. Censu secundus huc pertinere ostenditur. Censu non vno anno absoluti. §. XXIII. Lapsus quidam Chronologici notantur. §. XXIV. Chronotaxis Praesidum Syriae e numis restituta. §. XXV. Christus Varo Praeside natus. Lucas explicatus. Quirinius tempore Christi nati non fuit

fuit Praefes Syria, sed Censor extraordinarius. §. XXVI. Locus Tertulliani explicatur. Tabula censuales diu superstites. §. XXVII. Via tertia. Varia interpretatio verborum Luca. Anni Tiberii modo non uno numerantur. §. XXVIII. Aera Tiberii Proconsularis e monumentis antiquis illustratur, & ad Christi natiuitatem adplicatur. §. XXIX. Epilogus dissertatiuncula.

§. I.



Vmorum, inscriptionum, aliorumque, quæ tanquam fractæ e naufragio tabulæ in ætatem nostram delata sunt, monumentorum, tanta semper visa est auctoritas, vt omnes fere eruditi, qui annales veteres in tuto collocare voluerunt, eorum testimonio imprimis vtendum sibi existimauerint. Cujus instituti sui multas profecto habere rationes. *Quis enim non videt*, inquit Io. Daniel Maior, (a) *quam multo potior censenda documenti historici illius auctoritas merito sit, quod ex veteri numo, marmore, tabula aut inscriptione antiqua quauis alia, publico magistratus decreto solenniter erecta, quam quod ex vno forsitan & altero, tot ac tam grandibus suspicionibus obiecto, priuati hominis scripto historico petatur?* Certe enim, quum scripta historicorum haud pauca, tum ob librariorum oscitantiam, tum propter scribentium adfectus, qui plerumque in calamum migrant, aut ignorantiam,

A 3

priua-

(a) Maior Diss. de numis Rebdigerian. p. 66.

privatis, ad altiora principum consilia caligantibus, vix omni ex parte evitandam; suspicione non minima laborent, pleraque etiam mirum in modum a se discordent; diuersa longe est monumentorum antiquorum ratio, quippe quæ & incorruptiora ad nos peruenerunt, & publica fere auctoritate erecta sunt, & amantius multo inter se conspirant. Atque hæc quidem laus istis, tam consentiente omnium eruditorum suffragio, conceditur, vt nemo fuerit post felicem litterarum *παλιγγεσιαν* inuentus, qui eam in dubium vocare ausus sit. Antiquos scriptores ad summas angustias redegit Io. Harduinus, (b) nihilque præter Plinii Historiam naturalem, Ciceronis aliquot libros, Virgilio Georgica, & Horatii Epistolas, ex antiquitate ad nos peruenisse, miro ingenio contendit. Diplomatum quoq; antiquorum fidem aduersus Mabillonii sententiam, impugnavit P. Bartholomæus Germon, (c) Iesuita Gallus, tanta audacia, vt nihil fere in tabulariis publicis genuini exsta-

(b) vid. *Vindic. nominis German. aduersus obreclatores Gallos. Itigii Obseru.* 3. ad Biblioth. P. P. Apost. p. 208. (c) B. Germon. *Disquis. de vet. Reg. Franc. Diplom. & arte fecernendi antiqua diplomata vera a falsis.* Paris. 1703. 12. cui Mabillonius *supplementum librorum de re diplomatica* Paris. 1704. fol. Iustus Fontenius *Eorouul. vindicias antiquorum diplomatum Romæ* 1705. 4to. Theodoric. *Ruinarius Ecclesiam Parisiensem vindicaram* Paris. 1706. 12o. & Petrus *Constant. vindicias MSitorum* ibid. 1706. 8vo. opposuerunt. Proderunt postea *Germoni Disceptatio secunda* Paris 1706. 12mo. & *tertia* 1707. 12. nec, mortuo licet Mabillonio, intermortua est hæc controversia.

existere credat. At antiquis monumentis neuter dicam scripsit, quippe quæ ipsa elegantia & superfusa ærugine, (d) tanquam veneranda, canitie antiquitatem tuentur. El contrario innumera proferre liceret testimonia de numerorum usu & præstantia, si id opus esse videretur. Magnus Peirescius (e) dicitare identidem solebat, *numismata, aliæque id genus, testes esse antiquitatis incorruptos, ex quibus addiscerentur, quæ frustra requireret quis ex historiographis omnibus.* Io. Daniel Maior, paulo ante laudatus, (f) numos vocat *ipsasmet pictas vel sculptas historias, quæ adscriptis sibi ad lateris verbis, aut abbreviatis eorum peculiaribus, expresse deinde ex lectore auditorem & spectatorem, tanquam res hodie gererentur, faciant.* Io. Hemelarius (g) *inclusum esse ait numis notabile historiarum opus, & quod solum, etiamsi reliqua præclarissimorum ingeniorum monumenta interciderent, stare aduersus annorum edacitatem temporumque iniurias potuisset.* Denique cel. Wedelius (h) eosdem vitam Historiam antiquæ gentis & sapientiæ salutare non dubitat. Par pretium etiam inscriptionibus statuitur, quibus tantum tribuebat Bosius, (i) *ut in intimam antiquitatis noticiam neminem posse peruenire existimaret, nisi qui ingenium inscriptionum veterum ad vaguem calleat.* Omitto illustr. Ez, Spanhemii, du Choul, Reinesii, Chiffletii, Mei-

(d) Virides obducta ærugine numos laudat Prudentius in Psychom. v. 602. (e) Chifflet. Anastas. Cbilderic. cap. 7. p. 113. (f) de num. Rebâgerian. p. 53. (g) Prefat. ad aureanum. Caroli Duc. Arschot. (h) Dissert. 10. de numis pileatis Decad. 3. Exercitat. Médica Philolog. p. 69. (i) Bosius Epist. 15. ad Reines. p. 187.

Meibomii aliorumque elogia, quæ præfationis limites non capiunt.

§. II. Inter monumenta vero hæc antiqua, illa mihi instar thesauri habenda videntur, quorum testimonio historiæ sacræ atque ecclesiasticæ veritas quodammodo stabilitur. Ingentem eorum numerum ipse collegi, plurimisque observationibus historicis animi causa illustrare coepi, non dubitans, quin integra messis oblatura se esset, si quis maiore adparatu instructus serio hoc ageret. Fateor equidem, scriptores pontificios rem sæpe tentasse, sed quum præiudiciis in transuersum acti, ritibus tantum suis atque erroribus inde præfidium quaerent, non potuit fieri, quin sapius pueriliter errarent. Sic Baronius (k) in numo quodam Theodosii Ioannem & Philippum Apostolos, sacerdotali pontificiorum habitu & tonsura clericali decoros, invenire sibi visus est, quum Theodosii ac Valentiniani Imperatorum imagines omnes oculatiores Critici agnoscant. (l) Numos Constantini M. in quibus globus aræ insistens apparet, cum titulo BEATA TRANQVILLITAS ad sacrificium missæ trahere ausus est Peirescius, merito hinc a Sponio (m) castigatus, qui non hostiam eucharisticam, sed orbem mundanum, imperii symbolum, in numo expressum monet. Hispani inprimis hac in re ineptire videntur, quippe qui non solum multas Inscriptiones, in pietatis Hispanicæ laudem, confingunt

(k) Baron, ad ann. 394. n. 10. (l) Henr. Noris. *diff. de Numis* Liciniani Aug. c. 3. Anton Pagi *dissert. hypat. c. 14.* Meibom. *de usu numisma. in histor. augusta.* I. A. Schmidt *dissert. de numis cathedrat.* (m) Spon. *epist. ad P. de la Claise.*

gunt, (n) verum etiam genuinas ita detorquent, ut risum sæpe propinare aliis gentibus videantur. Ex hac fingendi libidine factum est, ut ex fragmento antiqui marmoris, in quo litteræ S VIAR adhuc exstabant, statim novum quendam Sanctum, qui hoc nomen gesserit, exculperent, eiusque solennem consecrationem ab Urbano VIII. Pontifice R. postularent, quum tamen postea a peritis talium antiquitatum ostenderetur, (o) litteras S VIAR reliquas esse a tota inscriptione, procul dubio ita supplendas, ut *presectus VIARum*, vel *curatores VIARum*, vel *maneps VIARum*, vel aliud eiusmodi (p) legatur. Eadem temeritate etiam Galli ex Inscriptione, in agro Vefontinensi reperta, Eusebii cuiusdam martyris notitiam sibi factam crediderunt, figuris adpictis persuasi, quas, quum martyrii instrumenta crederent, ascias esse docuit Mabillonius. (q) Sic porro quum Romæ a monachis inuentus esset, lapis, vestigium hominis notatus, dici non potest, quanta veneratione eum coluerint superstitiosi homines, vestigium angeli, in mole Hadriani tempore Gregorii M. Papæ olim visi, adorare se existimantes. At Petrus Bellorius, antiquitatum studiosissimus, ubi in templum venit, & tam numerosam plebem circa monumentum vidit, accessit, accuratius

(n) *Velferus Epist. 51. p. 551. Opp.* Scis quam vani Hispani præter omnes gentes in confingendis inscriptionibus, quas antiquas credi volunt. (o) *Mabillon Tom. I. Mus. Ital.* (p) De magistratibus viarum vid. *Lips. ad Tacit. l. 3. Annal. p. 158.* (q) *Mabill. epist. de cultu Sanctorum ignoror. Paris. 1698. 4to.*

ratiisque inspecto lapide, ex inscriptione Græca, fragmentum statuæ Ifidis deprehendit. (r) Eadem fabula acta est Ravennæ, vbi S. Argyris religiose culta diutissime fuit, quam tamen ethnicam fuisse, ex inscriptione marmoris sepulchralis ibidem obuia deprehendit P. Papebrochius. (s) Denique, vt & controuersia, num Petrus Romæ fuerit? finis aliquando imponeretur, fuere, vt ait Antonius Augustinus, (t) qui Neronis numum fingerent cum litteris PETRVS GALILAEVS, quem ingenti pretio Paulo IV. Pontifici impostores obtulerunt. *Cuderant ipsi hinc quidem Neronis caput, cum solitis titulis; in auersa autem parte S. Petri faciem, quatis in plumbis bullarum ac diplomatum pontificiorum spectatur, adscriptumque erat: Petrus Galilaus. Addebant, repperunt numum iuxta S. Petri Sacellum, hoc amplius, pontificem S. Petro persimilem esse asserbant.* Sed plura exempla adicere, chartæ angustia prohibet. Nec opus esse pluribus credimus, quum vel ex his satis constet, quam parum feliciter pontificii antiqua monumenta ad historiam sacram accommodarint.

§. III. Multo maiore ingenii dexteritate illi hactenus in numismatocritica & scientia lapidaria versati sunt, qui eiusmodi monumenta ad chronologiam facram transfulerunt, eamque variis locis eorum ope emendarunt. Cuius rei & ipse specimen nunc dabo, dissertationem hanc de genuina æra natiuitatis Christi, numis aliisque monumentis illustratam, quam ubi patronis

(r) Burnet. epist. 12. de itiner. Ital. p. 182. sqq. (s) Acta Sancti Martini Tom. V. p. 223. sqq. (t) Anton. Augustin. dial. II. de numis antiq. Dan. Larroquan. diatrib. de Leg. fulminat. p. 63.

tronis probari deprehendero, ceteræ suo tempore sequentur, memorias Sanctorum, historiam persecutionum, rituum, sacramentorum, hæreticorum, conciliorum, lectionum & hymnorum aliaque historię sacræ capita ex monumentis variis illustraturæ.

§.IV. Cur genuina Christi æra nobis, qui Christi nomen profitemur, in tanta litterarum luce hodiernum obscura sit, causæ satis multæ in promptu sunt. Præcipua tamen hæc videtur, quod nascentis ecclesiæ patres, maximo pietatis mysterio vnice intenti, operosas temporum computationes insuper habuerunt. Si enim ab initio statim annos a Christi natali numerare, eamque æram aut in scriptis suis, aut in monumentis publicis usurpare voluissent, nihil forte hodie laboraremus, iam vero primitiua ecclesia non nisi æris tum vulgo receptis Romanorum, Hispanorum & Syro-Græcorum vti solebat. (u) Postea æram martyrum, quæ ex Dio-

B 2

cle-

(u) Christiani pro diuersis mundi partibus, in quibus vivere, diuersis quoque æris vsi sunt. Plerisque Consulium aut Imperatorum annis res gestas signare placuit. *Æm Hispanica* locum inuenit in monumentis & conciliis Hispaniæ, vt testatur *Scaliger lib. 5. de Emendat. Temp. p. 235.* & *Mabillon. l. 2. de Re dipl. c. 23. p. 176.* *Æm Syro-Macedonum* vsos videmus Orientales, ceu apparet ex *Evangelio infantia Christi Ambico*, quod ex Henr. Sickii interpretatione denuo edidit *Fabric. in eod. Apocryph. N. Test. p. 169. Tom. I.* Imo sunt, qui suas sibi æras habent, ab aliis non admissas, quales sunt illa Gregorii Turonensis a transitu B. Martini repetita, aliaque *em imbecationis*, quæ in Capitularibus Franciæ occurrit apud *Buluz. Tom. II. p. 630.* quamq; de annis dominicæ passionis explicat *Carol. du Fresne Tom. III. Gloss. Lat. p. 1155.* de incarnationis vero æra ac-

cleriani anno primo confurgit, excogitarunt Aegyptii, (x) æmulas hac in re habituri & orientales & occidentales ecclesias, licet illas his constantiores. Aeram vero a Christi natali deductam primus inuenit Dionysius Exiguus, Abbas Romanus, qui seculi sexti initio floruit. Sed tantum abest, vt eius epocha statim publice recepta sit, vt demum sub Carolingorum tempora sensim cœperit monumentis adscribi. (y) Vnde non est mirandum, nobis hanc æram crucem figere, cuius tam parum curiosi fuerunt antiqui.

§. V.
cipit *Ioh. Frid. Mager. Diss. de præceptoribus Christi p. 17.* (x) De hac æra, quam Aegyptii Taarich Alschda, i. e. æram marryrum vocant, vid. *Hotting. secul. 4. Hist. eccl. p. 182. Carol. du Fresne Tom. I. Gloss. Med. & inf. Latinit. p. 200. Scalig. L. 5. de Emend. temp. p. 246.* Eandem quidem æram ab Æthiopicis intelligi per æram misericordiæ putauerat *Scaliger. l. c.* Sed æram Orbis conditi intelligendam monet *Ludolfus, Comment. ad histor. Æthiop. p. 385.*

(y) Pipini ætate receptam hanc æram fuisse, auctor est *Bucherius Sect. I. Chron. rer. Franc.* Alii, quum nec tunc quidem in monumentis hæc æra reperiatur, a Carolo Crasso introductam credunt. Vid. *Auentin. L. IV. anal. Boi. p. 461. Nicol. Vignier Chronic. Burg. ad ann. 885. Stumpf. L. VII. Helvet. cap. 6. fol. 197.* Denique recentissimum huius æræ usum facit *Salomon van Til*, qui in *Dissert. de annis Christi, Phosphoro prophetico annexa part. I. c. 1.* huius æræ usum demum anno 1431. sub Eugenii IV. pontificatu inualuisse, contra diplomatum aliorumque monumentorum fidem asserit. Sed maxime placet sententia *Mabilonii*, qui quidem *lib. 2. cap. 28. n. 1. de Re Dipl.* annos incarnationis iam inde a seculo octauo in diplomata nonnunquam admissos esse, ex Traditionibus Fuldensibus Pistorianis monstrat, nec tamen *cap. 26. n. 4.* negat. Carolingorum adhuc tabulas plerasque hac epocha carere. Vnde ab horum demum temporibus æram Dionysianam inualuisse credere par est.

§. V. Inde facile liquet, quid de monumentis antiquioribus iudicandum sit, quæ æram Dionysianam adscriptam habent. Nemo enim non vider, illa falsa ac suppositicia esse. Huius commatis est gladius, inter rudera templi cuiusdam in Gallia repertus, (2) cui ab altero latere characteribus Gothicis inscriptum:

VTRIQUE NOMEN PEPERI ET MAGNO
ALEXANDRO ET MAXIMO CAESARI
ab altero: NEC VIS HERCVLEA ME TERRVIT
VNQVAM DVM CONSTANTINI MAGNI
FIRMAREM IMPERIVM THEOGONIAS
III CXX

Verum se ipso iugulatur gladius. Quid enim Gothicus character sibi velit Constantini tempore, qui serius, imperante Valente, ab Viphila Episcopo est inuentus? (2) Quid vox *Theogonias*, Constantini ævo inaudita, licet con-

B 3

cretum

- (2) Vid. *Auctor Historie Henrici II. ultimi Ducis de Montmerency.*
(a) *Vphilam* inuentorem litterarum Gothicarum magno consensu tradunt *Philostorg. L. 2. Hist. Eccl. p. 471. Sozom. L. 4. Hist. Eccl. c. 33. Sozomenus L. 8. c. 37. & Theodoretus L. 4. c. 37.* In eo tamen a se discordant, quod *Philostorgius* *Vphilæ* ætatem in Constantini M; ceteri in Valentis tempora reiciunt. Sed *Philostorgii* interfuit, *Vphilam* antiquiorem facere, vt *Arianismi* inter Gothos propagati verustatem eo speciosius ostentaret, ceu obseruat *Guil. Cane Part. I. Hist. litt. secul. IV. p. 129.* Equidem *Basnagius Tom. III. Annal. Eccles. polit.* creditu difficillimum esse putat, Gothos ante *Vphilæ* ætatem scriptura propria plane caruisse, quandoquidem iam anno 320. episcopum suum ad concilium Nicenum ablegarint. Sed hoc argumentum, quid contra tot testes inferre possit, nondum video. Conf. de litteris Gothicis, quæ & *Toletanz* audiunt, *Mabillon L. I. de Re diplom. cap. 11. p. 48. & L. 5. p. 346.*

crem *Θεῖνος* apud personatum Dionysium Areopagitam (b) legamus? Quis deinde probauerit scriptio-
nem III CXX pro CCCXX, omni auctoritate exem-
ploque destitutam? Merito igitur mireris, auctori, qui
vitam ultimi Ducis Montmorencii descripsit, nec dubi-
tandum quidem videri, quin fatalis hic gladius reuera
& Alexandrum M. & Iulium Cæsarem & Constantinum
M. & post hos Carolum M. & Raynaldum Ducem de
Montalbano possessores habuerit.

§. VI. Nec melioris notæ est numus Constanti-
ni, quem anno æræ vulgaris 1611. Matthiæ Imp. Pragæ
obtulit Joachimus Schlegelius. Præfert ille in antica
effigiem Christi, dextrâ digitos, benedictis more,
erigentis, sinistra vero globum tenentis, cum perigra-
phe: A. CH. CCCXXIV. In postica diabolus & mors
catenis implicati conspiciuntur, cum lemmate, Etruscis,
vt Heckelius putat, seu, vt Schlegelio visum est, Vast-
ualdi notis scripto: SALVATORI MVNDI SA-
CRVM. Licet autem non modo Schlegelius sed &
Baysius, Sylburgius, Pannonius & Heckelius genui-
num hunc numum iudicent, & tum cûsum existiment,
quum Constantinus Nicomediæ salutaris baptismatis
fonte initiatus, Christianorum diptychis, & paullo post
cœlitum numero adscriberetur: illius tamen *νοθεῖται* tam
claris argumentis probauit Tenzelius, (c) vt neminem
hodie putem eius causam æturum. Sed omnium im-
pudentissime ætatem mentitur inscriptio hæc Spoletana
a Ru-

347. Roderic. Toletan. l. 6. *Rer. Hisp. c. 30. Iusti Fontanini Vindic. Antiqu. Dipl. contra German. L. 1. c. 2. Struuii Ab. Litterar. ex MS. C. fascic. 1. p. 22. (b) Dionys. Areop. lib. de diuin. nominib. cap. 2. Sæc. 1. p. 415. & Sæc. 7. p. 423. (c) Tenzel. dialog. mensfr.*

a Ruperto (d) descripta, quæ etiam æram vulgarem
adscriptam habet.

D. O. M.

S. MICHAELI ARCHÂ
NGELO POST CONS
VLATVM FELICIS ET
TAVRI ANNO VERO SA
LV HVM. CCCCXXVIII HO
C TEMPLVM DICATVM SA
CROQ. BAPTISMATIS FONT
E AD CATHED ECCLESIAM
POSTEA TRANSLATO MAXIMISQ
INDVLGENTIIS PERTOTVM MENSEM
MAII INSIGNITVM SACRATV
M Q. FVIT.

Consulatus Tauri & Felicis æræque vulgaris 428. con-
currunt cum anno Theodosii 21. & 22, quo nondum
Archangelis templa dedicata, nondum cathedralis ec-
clesiæ nomen auditum, nondum superstitiosus ille in-
dulgentiarum mercatus institutus. Vnde omnes cré-
do ad sensu suo confirmaturos esse iudicium Reinesii, (e)
qui hanc Inscriptionem a recentiore manu ex annali-
bus Ecclesiæ Spoletanæ compilatam credit.

§. VII. Quo certius igitur est, æram Dionysianam
ante Carolingorum tempora in monumentis publicis
nondum vsurpatam fuisse, eo magis subit mirari, cur
in mediæ ævi numis, nec ea quidem ætate, qua in di-
plomatibus adscribi cœpit, appareat? Quam plurima
sane mediæ ævi numismata tum solida tum bracteata
passim

anno 1689. p. 885. (d) Rupert. epist. 62. ad Reines. p. 568.

(e) Reines. epist. ad Rupert. ibid.

passim in eruditorum scriiniis seruantur, nec pauca a Dno. le Blanc, Fontano, Cornelio de Alkema, Elia Brennero, Thoma Bircherodio, Oleario, Sperlingio, Tenzelio, Mellenio, Schlegelio & Reu. Io. Andr. Schmidio delineata sunt, sed in nullo omnino æræ Christianæ vola aliqua aut vestigium exstat. Repertus quidem est numus bracteatus Bernardi, Ducis Saxonie, (f) ita inscriptus: BERNARDVS DVX SAXONIE MOSI, ex cuius voce vltima nonnulli elicere volunt annum MC81 id est 1181, quæ scribendi ratio, ex numeris Romanis & barbaris mixta, in MSCris codicibus nonnuquam obseruatur (g). Sed quoniam characteres tam obscuri sunt, vt æque facile MOSI ac MC81 legas; malim ego quidem accedere Tenzelii (h) & Cl. Olearii (i) sententiæ, qui vel MONetam Signatur, vel aliud quid huic simile legendum putant, quam aliorum, qui æram Christi hic sibi videntur inuenisse. Paucis vt me expediam, tam constanter ex monumentis antiquis æra Christiana exulat, vt sperandum vix videatur, vllò nos in inueniendi genuino Christi natali adiutum iri.

§. VIII. Interim non desunt monumenta, quibus veluti

(f) Possidet hunc quantumvis pretii bracteatum Dn. Zollmannus Consiliarius Saxonicus. Eius vero iconem dedit Tenzel, in *dial. Menstr. An. 1691. p. 619.* (g) Sic Tenzel, in *dial. menstr. an. 1693. p. 456.* ex MSCto allegat. exemplum numeri ∞ cc81, id est 1281. Mabillonius vero *lib. 5. de re dipl. Tab. 15. p. 373.* specimen profert ex Codice Cauensi, in quo Kempfii libellus de Imitatione Christi habetur. In eo vero hæc occurrunt notæ numerales X2 pro XII. X3 pro XIII, X4 pro XIV. &c. (h) Tenzel. *l.c. & anno 1693. p. 455.* (i) Olear. *Uagog. in numophylac. bracteac. cap. 3. Sect. 4. p. 20. sq.*

veluti aliud agendo ad verum Christi natalem adducimur. Quum enim tres præcipue characteres ab Evangelistis proponantur, ad quos, tanquam ad Lydium, quendam lapidem, Chronologorum sententiæ examinandæ sunt: totidem quoq; modis monumenta antiqua nobis adiumento erunt. Primus character est ille Matthæi, (k) qui Christum natum adfirmat ἐν ἡμέραις Ἡρώδης τοῦ βασιλέως in diebus Herodis Regis, atque eius quidem Herodis, cuius imperium paullo post ad Archelaum filium deuolutum est. Huc igitur facient monumenta, quæ chronotaxin Herodiadum ordinant. Secundus est Lucæ, (l) qui Christum virgineo partu in lucem editum ait, quum Cæsaris Augusti auspiciis census per P. Quirinium ageretur. Hic igitur vñi nobis erunt monumenta, quæ census ab Augusto actos, & Præsidium Syriæ chronologiam illustrent. Tertium characterem eidem Euangelistæ (m) acceptum ferimus, isque omnium distinctissime, Christum decimo quinto Tiberii anno ὡσεὶ ἰσίδουσα ἐτῶν ἀρχόντων quasi triginta annos habere cepisse, docet. Et huc referri oportebit monumenta, quæ annis Tiberii in ordinem redigendis sunt idonea. Quod qua ratione expediri possit, breui specimine nunc experiemur.

§. IX. Ad ordinanda Herodiadum tempora præcipue facit numus Herodis Antipæ, quem e Rigordi Museo multi eruditorum adhuc exhibuerunt, suisque illustrarunt obseruationibus. Postquam enim eius eclyptum a Rigordo acceperunt Anton. Magliabechius, hic statim illum cum Henrico Norisio communicauit,

(k) Matth. II, 1. (l) Luc. II, 1. (m) Luc. III, 1. - coll. 23.

qui deinde erudita epistola, ad Antonium Pagi exarata, (n) sententiam suam de præclaro monumento exposuit. Paulo post ipse Rigordus Dissertationem de hoc numo historicam edidit. (o) Sed & Io. Harduinus (p) & Ernmanuel Schelstratenus (q) eius expositione exercuerunt ingenia, licet ille more suo noua potius & paradoxa, quam vera, sectari voluisse videatur. Ceterum ipse numus est æneus, minoris moduli, (r) & in antica quidem palmam, solenne illud Iudaicæ monetae χαραγμα præfert, cum lemmate: ΗΡΑΔΗ ΤΕΤΡΑΡΗΘ ΛΕ ΜΡ. in postica Cæsaris Caligulae nomen, corollæ inscriptionem ΓΑΙΟ ΚΑΙΣΑΡΙ ΓΕΡΜΑΝΙΚΩ. Sic numi inscriptionem & Norisius & Rigordus & Harduinus & Schelstratenus initio exhibuerunt. Quum vero paullo post Lutetiam esset missus, Toinardus aliique æris antiqui censores obseruarunt, hos omnes deceptos, legere potius debuisse ΓΑΙΟ ΚΑΙΣΑΡΙ ΓΕΡΜΑΝΙΚΩ ΣΕΒΑΣΤΩ. Vnde Schelstratenus appendicis loco demum hunc numum æri incidendum, Lectoremque de errore monendum putauit.

§. X. De fide huius numi dubitare initio aliquantum visus est Norisius: Sed quum alii in numismatocritica versatissimi, qui ipsum numum viderant, confidente iudicio eum *veritas* absoluerent: ipse quoque lauda-

(n) Edita est hæc Norisii epistola cum Tractatu de Anno & Epochis Syro-Macedonum Florent. 1689. 4. (o) Rigordi Dissertationum Gallice scripta prodit Paris. 1689. 4. (p) Harduin in Prolusione Chronol. e numis restituta de numis Herodiad. p. 48. (q) Schelstraten. Antiqu. Ecetes. illustrat. Tom. I. p. 653. (r) Numi figuram habes etiam in Act. Erudit. Lips. Anno 1690. p. 431. & Supplem. Tom. II. p. 364.

laudatus Norisius in epistola, a Schelstrateno edita, (s) sententiam mutavit. Omnia sane in hoc numo antiquitatem redolent, nec vllum fraudis vestigium. Littera L. pro Δ posita tantum abest, vt suspicionem nobis injicere vllam possit, vt de antiquitate numi non obfure testetur. Græcas enim litteras olim cum Latinis eiusdem plane figuræ fuisse, ex Tabula Delphica docet Plinius. (t) Quod quum varia monumenta confirmant, tum vetus inprimis inscriptio apud Sponium, (u) in qua hæc nomina Græca per L. scripta occurrunt: ΛΤΚΙΝΟΣ, ΛΤΕΙΜΑΧΙΔΕΣ, ΛΤΣΙΣ, ΚΑΛΛΙΠΟΣ. Vt taceam, in numis epochas vix aliter quam per L. quod λυνδβαλζ, id est annum notat, indicari. Quum porro magnum hoc sit γνησιότητος argumentum, si numus cum aliis eiusdem Principis conueniat: nostro non potest non magnum inde pondus accedere, cui geminum seruat numophylacium Regis Franciæ, (w) in hoc tantum a nostro diuersum, quod non λυνδβαλζαυγ fed L. Δ Δ præfert, & in corolla exhibet locum, vbi cufus est, nempe Tiberiadem. Vt adeo nihil sit meo quidem iudicio, quod numum hunc Rigordi suspectum reddere possit.

§. XI. Ceterum hic numus, si cum aliis monumentis conferatur, ea de causa inprimis ad institutum nostrum facit, quoniam nobis initium tetrarchiæ Herodis Antipæ prodit, quo intuentio etiam mors Herodis M. fiet manifestior, atque sic totum confectum.

C 2

erit

(s) Schelstraten. Tom. I. Antiq. Eccl. p. 653. (t) Plin. lib. 7. hist. nat. cap. 38. (u) Spon. Miscell. Antiq. Sect. 10. n. 1. p. 35. (w) Schelstraten. l. c.

erit negotium. Constat igitur e Iosepho, (x) Herodem M. prioribus quas confecerat, tabulis, Antipam filium successorem destinasse, postea vero, pertæsum prioris testamenti, Archelao regnum, Antipæ Galilæam cum Peræa, Philippo denique Batanæam & Paneada tetrarchiæ nomine adsignasse. (y) Mortuo inde parente, Antipas a Salome ad regni spem erectus, Romam nauigauit, ita ibi instructurus scenam, vt priores tabulæ posterioribus præferrentur, ipseque exclusis fratribus ad regnum adspiraret. Lite itaque aliquantulum protracta, Augustus Cæsar in solenni amicorum confessu ita diuisit prouincias, vt Philippum Batanææ, Trachonitidi & Auranitidi; Antipam Galilææ & Perææ tetrarchas daret, maiorem nam, Archelaum Iudææ & Samariæ ethnarcham præficeret. (z) Factum hoc esse ante æræ vulgaris initium, ex eo apparet, quod idem Iosephus narrat, (a) Cæsarem in consilium aduocasse amicos, & in his Caium nepotem, iam a se adoptatum, cui honoratissimum in consistorio locum dederit. Inde enim facile liquet, Caium tum adhuc Romæ fuisse, Lucium vero, ejus fratrem, nondum in forum prodisse, alias pari cum Caio honore fruiturum. Quum igitur Caius Anno Augusti XLV in Orientem missus, numquam redierit Romam, morte quippe præpropere in itinere exstinctus, Lucius vero eodem anno demum in forum deductus sit: (b) pronissime inde con-

sequi-

(x) Ioseph. lib. 17. Antiquit. Iud. cap. 10. (y) Ioseph. lib. 17. cap. 11.
 (z) Ioseph. lib. 17. cap. 13. (a) Ioseph. l. 17. cap. 11. (b) Sueton.
 cap. 26. Aug. Anton Pagi Appar. ad Crit. Baron. n. 153. §. 155.
 sqq. p. 40. Tom. I. Norisius Cnotaph. Pisan. dissert. 2. p. 119.

sequitur, diuisionem istam iam ante annum Augusti XLV, atque adeo etiam ante æræ vulgaris initium factam esse. Iam ex numo nostro discimus, Herodem Antipam ex eo tempore adhuc L. M. hoc est annos XLIII tetrarchiæ præfuisse. Ponamus interea, annum hunc quadragesimum tertium cum tertio Cæii Caligulæ, hoc est Iuliano LXXXV concurrere, eodemque anno numum cūsum esse, quo Herodes denuo regnum anhelans ad Caium Baias profectus est, (sane enim post ea tempora Antipas in exsilium missus nūmos cudere non poruit) consequens erit primum Herodis Antipæ annum incidere in consulatum Cn. Cornelii Lentuli & M. Valerii Messalæ, hoc est annum Iulian XLIII. & Cæsaris Augusti XLII.

§. XII. Supputationi huic non parum ponderis accedit ex Archelai imperio, cuius eadem cum fratre no fuere primordia. Auctor est Dio Cassius, (c) Historicorum per hæc tempora facile princeps, Archelatum, quem gentili nomine Herodem adpellat, anno ab V. C. 759. Iulian. LI. M. Lepido & L. Aruntio Coss. prouinciis regnoque ab Augusto esse mulctatum, & exsulem in Galliam deportatum. Ita enim ille ad annum supra signatum: ο ηρόδης ο παλαιηνός ατίαν ηνείκ από τών αδελφών λαβών, υπό τής άλλεις υπερωρίθης, καί το μέρος τής αρχής αυτῆ ε ημοσιώθη. *Herodes Palaestinus a fratribus accusatus trans Alpes est relegatus, ac pars eius diuisionis in publicum redacta.* Quod ne cuiquam dubium videatur, consentientem Dioni producam Iosephum, (d) qui ubi censum, relegato Archelao a Quirinio a-

C 3

ctum

(c) Dio Cass. lib. 55. p. 567. (d) Ioseph. lib. 18. Antiquit. Iud. cap. 3.

ctum enarrat, cum incidere ait in annum trigesimum septimum post victum a Cesare in Actiaca pugna Antonium, qui est ille proximus annus ab eo, quem Dio signauit. Apud Actium enim pugnatum est III. Non. Septembris A. V. C. 760. Iulian. LII, quem proxime antecessit Archelai proscriptio. Porro eidem Iosepho (e) obseruatum est, Archelaum prouinciis excidisse *deu. i. q. i. c. 75. d. x. s. decimo principatus anno*, hoc est nono exacto. Quod si igitur ab anno V. C. 759. retro numeres per nouem annos, incidet in annum ab V. C. 751. Iulian. XLIII, hoc est in illum ipsum, quem Herodianum numismatis beneficio superiore paragrafo imperii illorum auspicalem esse adierimus.

§. XIII. Præterea hæc supputatio confirmatur chronotaxi annorum Philippi, tertii fratris, quem Trachontidem cum Batanaa tenuisse diximus. De hoc ita Iosephus: (f) *Tunc etiam Philippus Herodis (Antipæ) frater diem suum obiit, anno Tiberii principatus vigesimo, quum ipse præfuisset triginta septem annis Trachontidi & Gaulaniti & Batanaæ.* Quum ergo Tiberii annus XX & Philippi XXXVII concurrat cum anno ab V. C. 787. Iulian. LXXXIX, necessario sequitur, auspica Herodis incidere in annum ab V. C. 751. Iulian. XLIII, iam antea numi auctoritate a nobis stabilitum.

§. XIV. Ordinatis igitur Herodis Antipæ temporibus, & cum fratrum chronotaxi conciliatis, non difficulter licabit colligere, quid sentiendum videatur de Harduino, (g) annum Herodis XLIII, qui in numo apparet,

(e) Idem L. 17. c. 15. (f) Ioseph. lib. 18. Antiqu. Iud. cap. 6. (g) Harduin. prolus. Chronol. de numis Herodiad. p. 48.

paret, cum Caii Imperatoris anno primo coniungen-
te. Quam rem demonstraturus hanc præsupponit hy-
pothesin: *Vbi in numis Herodum Imperatorum annus omit-
titur, primus est semper intelligendus. Hanc enim ab illis
veluti fidei suæ esse am dari Caesaribus oportuit in auspiciis
imperii, suamque vel sic probare clientelam aut coniunctio-
nem.* Sed hæc regula, ex Harduini ingenio nata, nul-
lum in re numaria inuenit præsidium, pluresque ex-
ceptiones patitur. Exstant enim numi Agrippæ Re-
gis quam plurimi, (b) in quibus Vespasiani, Titi vel Do-
mitioni capita conspiciuntur, annis imperii non adscrip-
tis, & tamen auersæ numorum facies modo ε του ιθ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΓΡΙΠΠΑΣ, modo ε του κδ. βα. ΑΓΡΙΠΠΑ, modo
ΕΤΟΥ κγ. βα. ΑΓΡΙΠΠΑ, modo ΕΤΟΥ κθ. βα. ΑΓΡΙΠΠΑ id est
modo annum Agrippæ Regis XIX, modo eiusdem
XXIV, modo XXVI, modo XXIX præferunt, quos
omnes nec Harduinus nec alius quisquam salua chro-
nologia cum primis istorum Imperatorum annis con-
iunget.

§. XV. Iam igitur quærendum videtur, quantum
temporis inter Herodis mortem & Antipæ iurium efflu-
xerit? Hoc vero negotium non rectius expediemus,
quam vbi anni tempus, tum quo Herodes M. impu-
ram animam efflauit, tum quo Antipas cum fratribus
principatum Romæ obtinuit, indagauerimus. Hic i-
terum nos iuuat Iosephus, (i) qui, vbi Archelaum æ-
que ac Antipam, instante festo paschatis Romam nauig-
asse exposuit, statim pergit ad seditionem Iudæorum
ingruente festo pentecostes contra Sabinum excitatam,
(k) atque

(h) Spanhem. de usu & præstant. numism. Dissert. 9. p. 864. (i) Ioseph. lib. 17. c. 11.

(k) arque interea, dum hæc gesta sint, fraternam de regno contentionem a Cæs. Augusto sopitam adferit. Vnde certo constat, adulta iam ætate caussam hanc Romæ ad liquidum fuisse perductam, Herodis autem mors quo anni tempore contigerit, non æque facilis coniectura est. Valeat tamen hic tantisper Iudæorum auctoritas, qui in libris ieiuniorum ad diem VII. mensis Casleu Synagogæ supplicationem indicunt, quod is sit יום שבת הוררוס *dies qua excessit Herodes.* (l) Ex quo consequitur, circa Septembrem eum obiisse, & quidem anno, qui filiorum principatum proxime antecessit, nempe Iuliano XLII. Augusti XLI. C. Caluisio Sabino & L. Passieno Rufo Coss.

§. XVI. Sed ne quis existimet, emortualem hunc Herodis annum, in quem Em. Schelstratenus, (m) Antonius Pagi, (n) Norisius, (o) Rigordus, (p) Io. Clericus, (q) Auctoꝝ anonymus apud Sarnellium (r) Tillemontius, (s) Guil. Whiston (t) Basnagius (u) aliique eruditorum antesignani miro consensu feruntur, solo Iudæorum testimonio niti, etiam hoc addimus, quod

(k) *Idem l. 17. c. 12.* (l) Vid. *Iacobi Vfferii Annal. V. T.* (m) *Schelstrusen. Antiqu. eccles. illustr. l. c.* (n) *Anton Pagi in Appar. ad Crit. Baron. n. 142. p. 35. Tom. I.* (o) *in Cenotaph. Pisan. & epist. citat.* (p) *Rigord. discours sur une medaille de Herodes Antipas.* (q) *Io Cleric. Diff. 1. de annis vite Christi ad Harmon. Euang. p. 2. sqq.* (r) Vid. *Sarnell. lescere Ecclesiastice 35.* (s) *Tillemont. dans les memoires pour servir a l'histoire ecclesiastique Tom. I. part. 1.* (t) *Gu. Whiston. Consect. Chronol. N. T. prop. 12.* ubi annum emortualem Herodis assignat a period. Iulian. 4710. quidem est cum Iuliano 42. (u) *Sam. Basnag. Annal. p. 117. sqq.*

quod Iosephi chronologia cum hac hypothesi amantissime conspiraret. Hic enim de Herodis morte ita tradit: (x) τελευτῶ βασιλεύσας μὲν ὃ μὲν ἀνέβλεν Ἀντιγονοῦ, ἔτη τέσσαρα καὶ τριάκοντα, μεθ' ὃ δὲ ὑπὸ Ῥωμαίων ἀπεδιδευσθῆ, ἐπ' αὐτῷ καὶ τριάκοντα. *Moritur, quum regnasset post sublatum quidem Antigonum triginta quatuor annos, postquam vero renunciatus fuerat a Romanis, triginta septem.* Hinc nemo non videt, emortualem Herodis annum statim in aprico futurum, si, quo anno imperare cœperit, certum fuerit atque exploratum. Sed & hac in re Iosephi laudanda industria, siquidem accurate annum designavit, quo Herodes Romanorum auspiciis regni decus in familiam suam intulit. Factum enim hoc testatur ἐπὶ τῆς ρ καὶ π' καὶ δ' Ὀλυμπιάδος ὑπασιουῆος Γαίης Δουβλῆ καλβίνα τὸ δεύτερον καὶ Γαίης Ἀσινίς Παλίωος, *Olympiade CLXXXIV C. Domitio Caluino secundum & C. Afinio Pollione* Coff. (y) qui fuit annus ab V. C. 714. Iulian. VI. Augusti vero V. Quod si igitur ab hoc anno numeraueris annos XXXVII, quos imperauit, habebis annum ab V. C. 750. Iul. XLII. Augusti XLI, quo mortuum illum demonstrauimus. Alio loco narrat, (z) illum Hierosolyma expugnasse tertio anno, ex quo Romæ Rex fuerat renunciatus, Consulatumque tunc Romæ gessisse M. Agrippam & Canidium Gallum. (a) Qui annus Factorum omnium fide fuit ab V. C. 117. Iulian. IX. Augusti IIX, a quo si numeraueris annos XXXIV, quos ex eo tempore regnauit, denuo incidet in annum ab V. C.

D 750. Iu-

(x) Ioseph. lib. 17. cap. 10. & lib. 1. de bello Iud. cap. 21. (y) Id. lib. 14. Antiqu. cap. 29. (z) Idem lib. 14. cap. 26. (a) Idem lib. 14. cap. 28.

750. Julian. XLII. Augusti XLI, supra a nobis signatum. Denique hanc supputationem nostram probat lunæ deliquium, quod mortem Herodis antecessisse, denuo auctor est Iosephus. (b) Id enim eodem anno factum Hierosolymis, die XIII. Martii, hora 3. post mediam noctem, Astronomorum calculus probat.

§. XVII. Sed vltima superest quæstio omnium difficillima, quandoquidem in ea & Iosephi & patrum testimoniis destituimur. Nondum enim ad liquidum perductum est, quantum temporis inter Christi natalem & Herodis excessum intercefferit, de quo iam nonnulla monenda videntur. De mense & die non adeo laborabimus, quum omnes & traditiones & coniecturæ sine fundamento sint. Occidentalis quidem ecclesia, quam constanter diem VIII. Kalend. Decembris Christi natalem fuisse crediderit, singulari Dissertatione docuit Doctiss. Ittigius. (c) Sed præterquam quod cum isthac anni tempestate vix conciliari queat pastorum sub dio mansio, Luc. II. 8. dudum etiam suspicati sunt eruditi, (d) Latinam ecclesiam æmulatione gentilium hunc diem consecrassè, vt scilicet, quo die pagani Natalem Solis celebrabant, Christiani

(b) Idem lib. 17. cap. 3. (c) Thom. Itigii Diss. 3. Appendici de Hæresiarcb. Apostol. atar. annexa. (d) Sententiam hanc ex Fastis Romanis confirmant Græuius, not. ad Laëtant. de morib. persequitur. Harduinus in Antirrhætico de numis antiqu. colon. & municip. & Salom. van Till. in Dissert. de anno die & mense nati Christi cum Phosphoro prophetico edita part. I. cap. 2. Sed hõs refutate instituit Philippus a Turre in Monumentis veteris Antii Part. 2. cap. 6. diabolo auctore factum putans vt Mithræ turpissima sacra in diem hunc Christianis sa-

stiani solis iustitiæ illucescentis recolerent memoriam. Nec ecclesiasticæ traditionis nos hic adstringit auctoritas, siquidem nec ipsi quidem veteres diffitentur, ecclesiam in festis diebus constituendis, nullam sæpe temporis habuisse rationem, (*) sed perinde habuisse, quo die in ecclesia agerentur. Denique nec Scaligeri quidem computatio, ephemeriarum Leviticarum ordine innixa, omni exceptione major est, vt adeo non temere Bynæus hic, collatis inter se omnium coniecturis, illud Terentianum vsurpet: *Fecistis probe, incertior sum multo, quam dudum.* Sed hæc diei mensisque obscuritas nihil impedit, quo minus ad annum natalem quam proxime perueniamus. Quod fieri poterit, si epocham templi ab Herode M. restaurati in consilium adhibeamus. Constat enim ex Ioannis Euangelio, (e) Iudæos Christo de morte & resurrectione sua sub templi schemate loquenti, hunc in modum respondisse: *τεσσαράκοντα καὶ ἕξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς ἕτος, καὶ σὺ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερθεὶς αὐτόν;* *Quadraginta & sex annis templum isthoc exadificatum est, & tu intra tres dies excitaueris?* Certum puto, Herodianam structuram hic intelligi, quum templum a Zorobabele conditum intra decennium exadificatum sit, nec anni XLVI prodeant, si vel maxime tempus, quo ab opere cessatum est, adicias. (f) Loquuti vero hoc sunt Iudæi primo, quod Chri-

D 2 stus

crofactum transferrentur. (*) Florentinus in *Admonit. prævis ad Martyrolog.* Hieronym. *adm.* II. Petrus Damian. in *Opusculo* cui titulus: *Dominus vobiscum cap. 15. Conf. Anton. Pagi Critic Baron. ann. 67. n. 23. p. 58. (e) Io. II, 20. (f) Vid. Lightfoot, Her. Hebr. & Talmud. ad Ioan, II, 20. p. 977. 999.*

stus durante ministerio suo celebrauit, paschate, quando trigessimum circiter ætatis annum compleuerat. Herodes autem nouum templum moliri cœpit, anno regni sui decimo octauo, post debellatum Antigonum decimo quinto, (g) id est Iuliano XXVI. Vnde sua sponte consequitur, annum a templo ædificato XLVI, quo Iudæi hæc loquuti sunt, incidere in Iulian. LXXI, a quo numero si demas annos XXX, quos Christus natus erat, habebis annum Iulian. XLI, ab V. C. 749. Augusti 40, quo Augustus Cæsar & L. Sulla fascēs consulares Romæ tenebant. Quem annum genuinum Christi natalem fuisse, paullo post aliis quoque argumentis constabit.

§. XIX. Sed quo minus de primo charactere prolixiores simus, prohibet promissæ breuitatis fides, quæ subinde nos admonet, quanto omnia transcurfui dicenda sint. Pergendum igitur iam erit ad secundum, quem ægre adhuc cum historia Romana Syriacaque conciliarunt, videndumque, annon ex monumentis genuinis, censum ab Augusto actorum, Præsidumque Syriæ

(g) Testatur hoc Ioseph. lib. 15. Antiquit. Iud. cap. 14. & lib. 1. de bell. Iud. cap. 16. Et quamuis Herodes anno octauo hanc templi structuram eidem Iosepho dicatur absoluisse, illud tamen de sanctuario solum & sancto sanctorum videtur accipiendum. In cæteris ædificiis, quæ ciuitatis speciem præ se ferebant, semper aliquid fuisse adiectum, ex eo liquet, quod Iosephus lib. 20. Antiquit. cap. 8. ad Agrippæ Regis tempora refert, ἡδὴ δὲ τότε καὶ τὸ ἱερὸν τελέσθη. Tunc etiam templum idem absolutum est. Confer. præter Lightfoot. modo allegatum Iud. Cappelli annot. ad Iob. p. 1579. & 1580, tom. IV. Crit. Sacr.

Syriæ historia possit quodammodo illustrari. De censu itaque Lucas: *Ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐξῆλθε δῶγμα παρὰ καίσαρος Αὐγούστου, ἀπογραφῆσαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην.* (b) Factum vero est in diebus istis exiit edictum a Cesare Augusto, ut describeretur vniuersus orbis. Quamuis vero hæc ita clara videantur, ut vix vocabulum aliquod in quæstionem venire crederes: in eo tamen hæctenus a se inuicem discordarunt eruditi, quod per *πᾶσαν τὴν οἰκουμένην* alii solam Iudæam, alii vniuersum orbem Romanum intelligendum existimant. Ex quo noua subnasçitur quæstio, vtrum Evangelista de vniuersali an de particulari aliquo censu loquatur. Posteriores sententiam tuetur Antonius Bynæus, (i) prouocatque ad Ef. XIII. 5. XIV. 26. vbi Ebraicum *כָּל אֶרֶץ* & Græcum *πᾶσα ἡ οἰκουμένη* de sola Iudæa accipiantur. Sed nescio an hæc coniectura speciem ullam habeat. Sane enim *ἡ οἰκουμένη* apud omnes bonos scriptores non nisi de orbe terrarum habitabili dicitur. Nec aliam significationem vel apud Lucam vel in toto nouo fœdere vox admittit, ceu ex inductione locorum omnium (k) constat. Nec septuaginta quoque interpretes aliam significationem substituissè videntur, quandoquidem loca Esaiæ de vniuerso orbe acceperunt, & Ebrai textus sequuti sunt vestigia. Deinde vix puto exemplum in omni historia existare, ex quo colligas, census particu-

D 3 lares

(h) Luc. II. 1. (i) Anton Bynæus lib. 1. de natali Christi cap. F p. 304. 399. (k) Vbiuis in N. T. ἡ οἰκουμένη notat orbem terrarum nempe *Matth. XXIV. 14. Luc. II. i. IV. 5. XXI. 26. Actor. XI. 28. XVII. 6. 31. XIX. 27. XXIV. 5. Rom. X. 18. Ebr. 1. 6. II. 5. Apoc. III. 10. XII. 9. XVI. 14.*

lares in regnis sociorum atque amicorum P. R. aliquando actos esse. Certe tum demum illud fieri solebat, quando in provinciae formam essent redigenda, quod etiam Iudaeae post Archelai proscriptionem contigit. At vero census uniuersales etiam Reges sub clientela Romanorum Caesarum imperantes reculare non poterant. Qua de re alibi forte fusius commentabimur. Non ferunt igitur nostrae rationes, ut cum Byzæo censum hic particularem fingamus, quem Iosephus, his in rebus, quidquid alii criminantur, diligentissimus non sane tacuisset.

§. XIX. Ceterum censum ab Augusto per Romanum orbem actorum chronotaxin præclare omnino illustrat Monumentum Ancyranum, quod ab Augerio Busbequio in Oriente descriptum, multos deinde editores inuenit. (1) Equidem Isaeus Casaubonus (m) huic inscriptioni non multum desert, ideo quod aliqua perperam & contra omnem Latinitatem expressa contineat. Sed multa sunt quæ Casaubono respondeamus. Primo enim ferendum est hoc in provincialibus, ut eorum inscriptiones Latinae dictionis nitorem atque urbanitatem non omni ex parte adsequantur. Deinde Busbequius in describendo marmore amanuensium opera usus est, quos adeo sæpius hallucinatos non dubitamus. Præterea ipsum marmor non modo hinc inde

(1) Primus edidit *Andr. Schottus* Anno 1579. cum *Aurelio Vigore*; postea *Leunclavius* in *pandect. Turcicis*; *Gruterus* in *Inscriptionibus* p. CCXXX. *Ian. Rurgers.* *Var. Lect.* p. 163. seq. & editores *Suetonii* recentiores plerique. (m) *Casaubon.* *not. ad Sueton. cap. 101. Aug.*

de mutilum est, sed & a barbaris ita clauarum securi-
umque ictibus laceratum, vt plura legi non possint :
Quid ergo mirum, si multa perperam descripta sint ? Au-
diamus ipsum Busbequium, (n) erudite simul de monu-
menti præstantia iudicantem : *Ancyra pulcerrimam vi-
dimus inscriptionem, & tabularum illarum, quibus indi-
cem rerum, a se gestarum complexus est Augustus, exemplum,
id, quatenus legi potuit, per nostros homines transcriben-
dum curauimus. Exstat incisum ædificiũ, quod olim for-
tasse pratorium fuerat, diruti & tecto carentis marmoris
parietibus, ita vt dimidia pars intrantibus ad dextram,
dimidia ad sinistram occurrat. Suprema capita fere inte-
gra sunt, Media lacunis laborare incipiunt, infima vero cla-
uarum & securium ictibus ita lacerata, vt legi non possint.
Quod sane rei litteraria non mediocriter damnum est, a do-
ctis merito deplorandum ; idque eo magis, quod urbem il-
lam ab Asia communitate Augusto dicatam fuisse, constat,
Denique & alij, quibus eas regiones adire contigit,
multa, quæ Busbequi amanuenses perperam legerant,
emendarunt, quod fecit præcipue Antonius Verantius,
& nouissime Daniel Cossionus, ex cuius schedis idem
monumentum haut paullo locupletius atque emendati-
us vulgauit Iacob. Gronouius, & notis suis illustratum
memoriæ Cossionianæ subiiecit, editæ Lugd. Batav.
1695. 4to. (o)*

§. XX. Ex laudato igitur monumento Ancyra-
no sequentia huc pertinent:

SE.

(n) Busbequ. Epist. 1. de Reb. Turcic. p. m. 93. (o) Io. Albert.
Fabric. lib. 4. biblioth. Latin. c. 5. p. 747.

SENATVM TER LEGI ET IN CONSVLATV SEXTO
 CENSVM POPVLI COLLEGA M. AGRIPPA EGI.
 LVSTRVM POST ANNVVM ALTERVM ET QVA-
 DRAGESIMVM FECI (legi) QVO LVSTRO CIVI-
 VM ROMANORVM CENSITA SVNT CAPITA
 QVADRAGIENS CENTVM MILLIA ET SEXA-
 GINTA TRIA ... CVM NVPER LVSTRVM SO-
 LVS FECI (legi) CENSORINO ET ASINIO COS.
 QVO LVSTRO CENSA SVNT CIVIVM ROMA-
 NORVM CAPITA QVADRAGIENS CENTVM
 MILLIA ET DVCENTA TRIGINTA TRIA IN
 CONSVLATV S... CVM NVPERRIME LVSTRVM
 CONLEGA TIBERIO SEXT. POMPEIO ET SEX.
 APVLEIO COS. QVO LVSTRO CENSA SVNT
 ROMANORVM CAPITA QVADRAGIENS CENT-
 TVM MILLIA ..I ginta ET SEPTEM MILLIA
 LEGI.

§. XXI. Quæ hic paullo plenius referuntur, ea
 parcius suo more hunc in modum eloquitur Suetoni-
 us: (p) *Recepit & morum legumque regimen aque per-
 petuum, quo iure, quanquam sine censura honore, censum
 tamen populi ter egit, primum ac tertium cum conlega, me-
 dium solus. Quemadmodum igitur Suetonius monu-
 mentum Ancyranum confirmat; ita hoc illius narra-
 tionem egregie illustrat, dum quo consule quisque cen-
 sus actus sit, accurate indicat. Vnde sequens nascitur
 censuum Augusti chronotaxis:*

Anno Juliano XVIII.	} census primus Augusti cum Collega
Ab V. C. 726	
Cæs. Augusto & M. Vipsanio	
Agrippa II. Coss.	

(p) *Sueton. c. 27. Aug.*

Anno

Anno Jul. XXXVIII. }
 Ab. V. C. 746. } census secundus
 C. Martio Censorio & } solius Augusti.
 C. Asinio Gallo Coss. }

Anno Jul. LIX. }
 Ab. V. C. 767. } census tertius proxime ante
 Sexto Pompeio & } mortem Augusti cum con-
 Sexto Apuleio Coss. } sorte Imperii Tiberio.

Iustam hanc esse temporum consignationem, nemo forte negauerit. De primo enim censu auctorem etiam habemus Dionem, (q) qui res consulari sexto Augusti gestas recensens, etiam hæc addit: *ἐν δ' ἐν τῷ τότε παρόντι τότε ἄλλα ὡσπερ εἶθις ἐπαρξέη καὶ τὰς ἀπογραφὰς ἐξετέλεσε. Eo quidem anno cum alia, quæ mos erat facere, tum etiam censum peregit.* Idem Dio (r) etiam de ultimo censu breui ante mortem Augusti actō ita scribit: *ἐπεμψεν ἄλλες ἄλλα τὰ τε τῶν ἰδιωτῶν καὶ τὰ τῶν πόλεων κήματα ἀπογραφαινεύε. Alios alio dimisit, qui priuatorum ac ciuitatum facultas describerent.* Nec putandum est, Dionem a monumento nostro dissentire, dum illud anno antecedente ab V. C. 766. factum commemorat. Licet enim expirante hoc anno, censores isti extraordinarii dimissi sint, ipse tamen census ante sequentem annum, qui in monumento Ancyrano signatur, peragi non potuit. De medio quamuis taceat, vel hæc tamen testimonia ad chronotaxeos nostræ veritatem Monumentique Ancyrani sinceritatem probandam sufficient.

§. XXII. Quod si igitur census hos cum temporum ordine supra a nobis constituto conferamus; sta-

(q) Dio. lit. 53. p. 496. (r) id. l. 56. p. 588.

tim apparebit, nec primum nec vltimum huc pertinere. Quapropter medius ille fit oportet, qui a Luca cum Christi natalibus coniungitur. Sed sic triennii fere est interuallum hunc censum inter & annum Iulianum XLI, quem superius Christo natalem fuisse adferuimus. Quod tamen nemini videbitur mirum, qui censuum antiquorum rationem perspectam habet. Exemplo enim non uno constat, census ab Imperatoribus indictos per aliquot annos protrahi consueuisse, antequam ad finem perducerentur. Sic censui Augusti ultimo, eo ipso anno, quo hic Imperator viuis interesse desiit, per Galliam præfuit Germanicus, (s) quod contigit anno Iul. LIX, duobus Sextis Coss. & tamen postea ad absoluendum hoc negotium P. Vitellius & Cautius dimissi sunt. (t) Quod, cum factum sit L. Scribonio Libone & T. Statilio Sifenna Coss. i. e. anno Iul. LXI. censum hunc per Galliam solam tres omnino annos continuatum fuisse oportet. Sed & Plinius (u) census meminit, sua ætate ab Imperatoribus Vespasianis, patre filioque acti, quem intra quadriennium demum absolurum scribit. Admodum igitur fit verosimile, censum etiam Christo nascente actum, iam anno ab V. C. 746 indictum quidem, sed per annos tamen aliquot continuatum fuisse; imprimis cum credibile sit, eum, vt omnia noua solent, multas per Iudæam turbas dedisse. Certe non facile crediderim, totam Syriam ac Iudæam breuiore temporis interuallo absolui potuisse. (x)

§. XXII

(s) Tacit. Lib. I. Annal. cap. 33. (t) Idem lib. 2. Annal. c. 6 (u) Plinius lib. 7. hist. nat. cap. 49. (x) Huettius Demonstrat. Euang. prop. 9. pag. 703. 704.

§. XXIII. Video etiam a doctissimo Auctore Harmoniæ Evangeliorum, in Bibliotheca Vsseriana reperi-
tæ, & hic loci bis excusæ, ad Monumentum nostrum pro-
uocari; (y) Sed cum ab eo aliquoties erratum sit, ope-
ræ pretium erit, eius hypothesin examinare. Primo
igitur medium censum in marmore Ancyrano descri-
ptum actum credit P. Vinitio & L. Alfinio Varo Coss.
cum in marmore diferte consulatus C. Martij Censorii &
C. Asinii Galli nominetur, unde censum octo annis recen-
tiorē facit, quā marmor, quod tamē pro se allegat. Dein-
de consulatū P. Vinitii & L. Alfinii concurrere putat cum
año ab V. C. 749. quemadmodum in margine legitur, cum
potius in annum ab V. C. 755. incidat. Porro hunc cen-
sum per tres annos durasse, & denique Sexto Aelio Cato
& C. Sentio Saturnino Coss. peractum fuisse existimat, idq;
ex Dionis lib. 55. colligi posse credit. Verum & tempo-
ra hic perturbat Auctor & Dionem ipsum a se tum non
fuisse euolutum prodit. Alias enim animaduertif-
set, Dionem non de censu vniuersali isto, sed de particu-
lari aliquo per solam Italiam instituto loqui. Ita enim ille:
(z) τὸ τοῦ μὲν δὴ δι' ἑτέρων ἐπραξεν. αὐτὸς δὲ ἀπογραφὰς τῶν ἐν
τῇ Ἰταλίᾳ κατοικούντων, καὶ μὴ ἐλάττω πέντε μυριάδων ἕσταν
κρηνημένων ἐποιήσατο. Τὰς γὰρ ἀδανειστὰς, τὰς τε ἔξω τῆς
Ἰταλίας οἰκούντας, ἐκ ἠνάγκης, ἀπογράψασθαι, δεύσας μὴ
νεοσιγισσῶσι τι ταραχθεύσεις. *Hac quidem Augustus per alios
transegit; ipse vero recensionem eorum, qui in Italia ha-
bitarent, ac ad ducenta sesquertia possiderent, iniuit. Pan-
peres enim & eos, qui extra Italiam habitarent, ad cen-
sum non coëgit, veritus quippe, ne quid turbarum darent.*

E 2

Quodli

(y) Anonymi Apparac. ad harmon. Euangel. pag. 5. (z) Dio
lib. 55. pag. 75.

Quod si igitur cens, ad solos Italos, & eos quidem, qui ducenta sestertia possiderent, pertinuit, quomodo ad illum Lucae referri poterit, qui per totum Romanum orbem actus est, & Iosephum quoque & Mariam, tenuioris conditionis homines, Bethlehemum ire compulit. Ipsa auctoris sententia, qua Christum tertio Aerae Dionysianae anno natum statuit, quam incommoda sit, quibusque difficultatibus exposita, iam ex iis, quae paullo ante dicta à nobis sunt, colligi haut difficulter potest.

§. XXIV. Explicandum iam erit, quis eo tempore, quo Christus natus est, Syriae Praeses fuerit, cum ea quaestio haut parum ad rem pertinere videatur. Quandoquidem vero catalogum eorum nullum adhuc habemus, omnibus numeris absolutum, (a) dabimus

(a) Praesidum Syriae catalogum varii dederit Chronologi. In his Laurentius Suslyga in tractatu de anno ortus ac mortis Domini, deque universa I. C. in carne oeconomia Graecii 1605. 4. edito, qui liber iam Casauboni aetate tam rarus fuit, ut vix obiter sibi inspectum, nunquam vero lectum fateatur Exercit. i. Anibaron, n. 30. pag. 118. Tentavit & Baronius in Appar. n. 85. eorum chronotaxin constituere, sed ita, ut nemo illo hac in re offenderit grauius. Postea Casaubonus l. c. eum in multis emendauit, sed ita ut nec ipse omnia viderit. Vaillantii de Praesidibus Syriae opus, quod in Numismatibus aereis Imperatorum rom. II. pag. 63. promissum, nunquam, quod sciam in lucem prodit. Omnibus interim in hoc genere diligentiam suam probarunt Paulus Pezron dans l'histoire evangelique pag. 64. seqq. Emanuel Sobelstraten. Antiqu. illustrat. Tom. I. Diss. 1. de Chronotaxi vita Christi. Conferendus etiam Salom. van Til. Phosphorus propheticus in appendice, ubi numi praesidum Syriae varii exhibentur atque illustrantur.

operam, vt quae eruditi ex monumentis antiquis ea de re obseruarunt, hic veluti in breui quadam tabula exhibeamus. Numorum ergo scriptorumque veterum auctoritate securi hos Syriae Praesides circa Christi tempora notamus.

Anno Iulian. XXXVII. } C. Sennius Saturninus abeunt
Ab V. C. 745. } e Syria Titio successor missus
est, teste Iosepho. (b)

Anno Iulian. XL. } Quintilius Varus iam Saturnino
Ab V. C. 748. ante } successerat. Docet hoc numus An-
mensensem Novembr. } tiochenus e Florentino Gazo-
phylacio ab Henrico Noris (c)
& e Cimelis Regis Christianissi-
mi ab Antonio Pagi. (d) & Ioh. Harduino, (e) publicatus,
cuius in antica habetur caput Iouis laureatum, in po-
stica genius Antiochiorum tutelaris turritus monti,
cui inferius symbolum Orontis fluminis adfidet, inni-
xus, dextraque palmam tenens, cum perigraphie
ANTIOXEQN ENI OTAPOT EK. i. e. Numus Antiocheno-
rum sub Varo anno XXV. cufus. Cum vero annus XXV.
aerae Antiochenae, quae a victoria Augusti Aetjaca con-
surgit, (f) coincidat cum Iuliano XL, Ab V. C. 748,
necessario sequitur, Quintilium Varum iam ante No-
vembrem huius anni Syriae Praesidem fuisse. (g)

E 3

Anno

(b) Ioseph lib. 16. *Antiqu. Iud. cap. 13.* (c) Henr. Noris. *Diff. 3. de epoch. Syro Maced.* (d) Anon. Pagi *Apparat. ad Critic. Baron. v. 136. p. 33.* (e) Harduin. *Antirrhet. p. 58.* (f) Noris. *l. c.* (g) Congruit haec Vari epocha cum calculo Iosephi, qui lib. 17. *Antiqu. Iud. cap. 7.* diserte testatur,

Anno Iuliano **XLI.** } Adhuc Syriae praefuit Varus ceu
 Ab V. C. 749. } liquet e numo Vaillantii. (b) e-
 iusdem commatis cum perigra-
 phe: ANTIOXEON EPI OTAPOT
 AK (5K) id est: Numus Antiocheno-
 rum sub Varo anno **XXVI.** cufus.

Anno Iulian. **XLII.** } Adhuc praefuit Varus, quod te-
 Ab V. C. 750. } statur Numus Norisii eiusdem
 generis cum perigraphe: ANTI-
 OXEON EPI OTAPOT ZK. id est:
 Numus Antiochenorum sub Varo cufus anno **XXVII.**

Anno Iulian. **L.** ab } Syriam demandatam fuisse cui-
 V. C. 758. } dam Sentio Saturnino ab illo
 superiore diuerso, primus animaduertit Antonius Pa-
 gi, (i) idque beneficio numismatis, in quo huic Praesi-
 di adscriptus est annus Antiochenus EA. Sed vereor vt
 hic fatis fuerit oculus. Sane fecundi hoc nomine
 Praesidis nusquam alias ullum vestigium apparet. Su-
 spicor igitur, legi debuisse EK, cum facile fieri potuerit,
 vt K superiore linea aliquantulum detracta speciem EA
 praerberet. Annum vero EK id est XXV. Saturnino
 vltimum, Varo primum fuisse iam antea vidimus.

§. XXV. Iam igitur facile iniri poterit ratio, in
 cuiusnam Praesidis magistratum inciderit tot anxius Pa-
 trum votis expedita Saluatoris natiuitas? Sane de P.

Qui-
 Varum extremis Herodis temporibus Sentio Saturnino
 successisse. Vnde miror, cur Casaubonus Exercit. 1. Anti-
 Baron n. 30. p. 124. eius initium in annum ab V. C. 750.
 reiciat. (h) citat. ab Harduin. in Antirrheth. (i) A Pagi.
 loco citato. ad ann. Chr. 19. n. 3. p. 16.

Quirinio cogitandum non erit, quippe quem diu post Christi natiuitatem, Archelao nimirum iam ditionibus mulctato, in Syriam cum Præsidis dignitate missum, constat. Cum tamen Lucas Euangelista discrete affirmet, descriptionem istam fuisse *πρώτην ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κορνήϊου*: variis rationibus nodum hunc soluere, Lucamque cum Scriptoribus profanis conciliare eruditi tentarunt. Baronius inaudita temeritate omnibus antiquis monumentis contradicere ausus, Quirinium omnino Syriæ præfuisse fingit: id quod tamen secare nodum est, non dissoluere. Alii, inter quos & Ant. Bynæus (k) nomen suum profiteretur, vocem *πρώτη* comparative exponunt pro *πρωτεύουσα* commodissimumq; hunc sensum esse existimant: *Hec descriptio πρώτη prius vel ante facta est quam præsideret Syria Quirinius.* Sed non opus videtur, ut tam violenta interpretatione, & iam dudum ab Isaaco Casaubono (l) explosa Lucæ succurramus, cum eius verba cum historia plane non pugnent, sed omnium optime conueniant, ut paullo post erit perspicuum. Nullum igitur est dubium, quin eo, quem supra Christi natalem fuisse diximus anno, Quir. til. Varus Syriæ Præses fuerit, id enim numi tam clare docent, vt frustra manifestæ veritati contradiceres: Lucas vero tantum abest, vt Syriæ Præsidem nominare voluerit, vt potius hæc sententia ipso verborum significatu refellatur. Præsidem enim Græci *ἐπιστάτην* vel *ἐπιστάτην* aliquando etiam *διοικοδοτήν* vocare solent. Vox vero *ἡγεμονεύων* vel *ἡγεμών* non solis Præsibus Romanis datur, sed de omnibus usurpari solet, qui rem aliquam suo

(k) Anton. Bynæus de natali Christi lib. 1. pag. 332. seqq. (l) If.

vel alieno nomine agendam suscipiunt, unde & illi, qui die baptismi infantum loco sponsonem faciunt ἡγυμειούτες sunt Dionysio Areopagitæ. (m) Cum igitur census non ab ordinariis Præsidibus agerentur, sed a viris probatis aliis, cum extraordinario imperio in provincias missis: (n) perspicuum est, Quirinum tum non Præsidentem, sed ἡγυμειούτα, i. e. vel extraordinarium Censorem, vel Procuratorem in Syria, vel Procuratori adiunctum fuisse. Hac de causa Iustino Martyri (o) vocatur πρῶτος ἐν Ἰουδαίᾳ γενόμενος ἐπίτροπος primus per Iudæam procurator. Quod sane de ordinario Præsidente accipi non potest, quia tunc non Iudææ sed Syriæ Præses dicendus fuisset, neque etiam tunc primus potuisset appellari: Si vero non de Præsidente: ergo de procuratore extraordinario ad censum agendum missio. (p) Ἐπιτροπέουται enim, ut præclare describit Thom. Reinesius (p) demandatur Procuratio provincie, Officium splendidissimum, & quod aditus erat ad honores amplissimos, & non nisi familiaribus suis & recepta auctoritatis viris con-

Casaubon, Exercit. AntiBaron 1. n. 32. p. 129. (m) Vid. Suicari Thesaur. Ecclesiast. in voce ἡγυμειών. (n) Apparet hoc ex Dione l. 56. p. 588. qui Augustum perhibet alios alio mississe ut & privatorum fortunas, describerent & publicas. Et Suidas in voce Ἀπογραφή ex veteri scriptore refert, Augustum ad has ἀπογραφὰς elegisse ἐπιτροπέους τὰς ἀρχαίας τὸν βίον καὶ τὸν τρεῖσιν, viginti viros vita moribusque conspicuos. Sic ad census in Gallia missi a Tiberio P. Vitellius & Cantius, Tacit. l. 7. Annal. cap. 6. A Nerone Q. Volusius S. Africanus & Trebellius Maximus Tacit. l. 14. Annal. cap. 46. (o) Iustin. Apol. 2. (p) Reinesius l. 3. Var. Lect. cap. 16. p. 599.

cedebatur ab Imperatoribus. Hi in partem administrationis provinciarum una cum Praesidibus veniebant, & de bonis provincialium integram habebant cognitionem. Quae verba Reinefii etiam vocem ἡγεμονεύοντος, quae huic apud Lucam synonyma est, egregie poterunt illustrare.

§. XXVI. Sed obiici forte nobis posset locus Tertulliani luculentissimus, de quo dispiciendum iam erit. Hunc in modum vero Patrum Latinorum antiquissimus de censu nostro differit: (q) *Sed & census constat actos sub Augusto nunc in Iudeam per Sentium Saturninum, apud quos genus eius inquirere potuissent.* Quanti hoc testimonium faciendum sit, ex eo perspicuum est, quod ad tabulas publicas censuales, tum procul dubio adhuc superfites (r) prouocat, quae sane rem optime decidere

(q) *Tertullian. lib. 4. adu. Marcion. cap. 19.* (r) Non sine insigni impudentia Christiani primitiui prouocare potuissent ad tabulas censuales, nisi de re certi fuissent. Facit vero hoc *Iustin. apol. 2. p. 59.* cum ipsis Imperatoribus agens, quos haut impune profecto decepisset. Ita enim hic Pater satis cordate scribit: Μαθὲν δύνασθε ἐκ τῶν ἀπογραφῶν γενομένων ἐπὶ Κουηνίᾳ. *Discere ipsi poteritis (historiam nati Christi) ex tabulis censualibus sub Quirinio descriptis.* Post hunc etiam Tertullianus l. 4. adu. Marcion. cap. 7. *Censum, inquit, Augusti ressem fidelissimum dominica natiuitatis Romana archiua custodiunt, & cap. 36. Tam distinctissima fuit a primordio Iudea gens per tribus & populos & familias & domos, ut nemo facile ignorari de genere poterit, vel de recentibus Augustianis censibus, adhuc tunc fortasse pendentibus.* Denique easdem tabulas sua adhuc aetate superfuisse his verbis testatur *Chrysostomus: Ὅθεν δὴλον, ὅτι κατὰ τὴν πρώττην ἀπογραφὴν ἐτέχθη, καὶ τοῖς ἀρχαίοις τοῖς δημοσίᾳ κειμένοις κώδιξιν ἐπὶ τῆς Ρώμης ἔχουσιν ἐντυχοῖ-*

cidere poterant. Cum igitur Terrullianus ex illis censum a Luca descriptum ad Sentii Saturnini tempora esse referendum didicerit : merito forte suspecta erit nostra hypothesis, quæ censum sub Varo actum supponit. Verum tam facilis hic suppetit responsio, ut non opus sit numerorum auctoritatem deferere, multo minus textum Luca temerare, & cum H. Valesio pro Quirinio Sentium Saturninum, (s) aut cum Hueticio (r) pro κρηνίς κριτίλις legere. Quemadmodum enim supra e Monumento Ancyrano a nobis est demonstratum, census huius primordia incidunt in annum Jul. XXXVIII. quo omnino adhuc Syriæ præerat Sentius Saturninus, anno demum XXXIX vel XL, locum facturus Quintilio Varo, successori. Census igitur iste, qui a Luca, P. Quirinio tribuitur, sub Sentio Saturnino cœpit, sub Quintilio Varo est absolutus, atque adeo a Terrulliano recte vocatur census Saturnini, cum tabulæ publicæ titulum plerumque a primo negotii auctore ferant.

§. XXVII. Sed ad vltimum demum characterem pergendum est, qui accurata annorum Tiberii chronolo-

τα καὶ κρηνίς τῆς γενομένης μαθόντα ἀκριβῶς εἰδέναι τὸν βε-
 λόμενον. Vnde manifestum est, quod circa primam descriptio-
 nem natus sit, veteres etiam qui Rome seruantur codices euol-
 uenti & tempus descriptionis indaganti licet id si voluerit
 accuratius cognoscere. Certe tabulas censuales cum cura
 confici & seruari solitas, patet ex Dion. L. 59. p. 637. vbi
 narratur, Caligulam Cæsarem perditam inter aleam pecu-
 niam τὰς γαλατῶν ἀπογοραφὰς postulasse, necatisque lo-
 cupletissimis, ad sexies milles festerium cœgisse. (s)
 Henr. Vales. not. ad Euseb. Hist. Eccl. p. II. (r) Huetic. Demonstr.
 euangeli. quest. 9. cap. 10. p. 703.



taxi nititur. Hunc denuo Lucas (u) his verbis descripsit: ἐν ἔτει δὲ τοῦ δευτέρου τῆς ἡγεμονίας τιβερίου καὶ σαταρνοῦ ἡγεμονίας παντὶς ἡλικίας τῆς Ἰουδαίας, καὶ τετραρχήντος τῆς Γαλιλαίας ἠρώδα, Φιλίππου δὲ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ τετραρχήντος τῆς Ἰταρίας, καὶ Τραχωνιτίδος χώρας, καὶ Λυσανίου τῆς ἀβιλιῆς τετραρχήντος - καὶ αὐτοῦ ἐν ὅλῃσιν ὡσεὶ ἑτῶν τεσσαρῶν ἀρχόμενος. Anno autem decimo quinto Imperii Tiberii Caesaris, Pontio Pilato procurante Iudaeam, & Tetrarcha Galilee Herode, Philippo autem ipsius fratre Tetrarcha Iturae & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilenes tetrarcha - ipse autem Iesus incipiebat esse quasi annorum triginta &c. Hæc verba quemadmodum satis aperte docent, Christum anno Tiberii XV. trigessimum suum agere cœpisse: ita multi inde arripuerunt errandi occasionem. Nihil enim amplius deliberandum rati, a decimo quinto Tiberii anno retro numerarunt triginta, & sic inciderunt in annum Jul. XLIII, quem sine ulteriori discussione pro Christi natali venditarunt, cum tamen ille neque cum Herodum temporibus, neque cum æra templi Herodiani conspiraret. Alii in interpretando Lucæ textu defudarunt, & particulam ὡσεὶ cum latitudine sumendam, aut annum Christi trigessimum a decimo quinto Tiberii plane separandum existimarunt, quibus tamen inuentis adeo non soluerunt nodum, ut potius magis magisque adstringerent. His vero interpretationibus cunctis minus opus erit, si annos Tiberii non vna eademque ratione semper numerari observemus. Primi eruditorum hoc notarunt atque ad liquidum rationibus perduxerunt Ioh. Georg. Herwartus (x) & eundem postea secutus Antonius Pa-

F 2 gi
 (u) Luc. III, 1. 23. (x) Io. Georg. Herwarti. in Chronolog. cap. 248.

gi, (y) in eam suspicionem adducti a Clemente Alexandrino, (z) qui de Tiberii principatu hunc in modum differit: *Αύγουστος ἔτη τεσσαράκοντα τρία. ἡ βίβλος ἔτη κβ. Γαίος ἔτη δ. &c. Augustus annis quadraginta tribus, Tiberius annis XXII Caius annis IV &c. imperarunt.* Quo vulgari historicorum plerorumque calculo proposito, ita pergit: *Τινὲς μὲν τοὶ τὰς χρόνους τῶν Ῥωμαίων βασιλέων ἄνω διαγάφουσι. Γαίος Ἰσλιος Καίσαρ ἔτη γ', μῆνας δ' ἡμέρας ε'. μὲν δὲ Ἀύγουστος ἐβασίλευσεν ἔτη μ'ς μῆνας δ' ἡμέρας μίαν. ἔπειτα Τιβέριος ἔτη κ'ς μῆνας ε', ἡμέρας θ'.* *Quidam Imperatorum Romanorum tempora sic describunt. C. Iulius Caesar annis tribus, quatuor mensibus, quinque diebus. Post quem regnavit Augustus annis quadraginta sex, mensibus quatuor, die uno, deinde Tiberius annis viginti sex, mensibus sex, diebus novendecim.* Ex his igitur locis neque a Syllburgio neque a Scriuero castigatis facile patet, Tiberiano principatui duplex statui initium, alterumque a morte Augusti, alterum vero a Proconsulari eius potestate confortioque imperii esse arcessendum. Autores enim sunt illorum temporum scriptores, Tiberium ab Augusto in imperii societatem receptum, parem cum Patre potestatem extra urbem in provinciis & apud exercitus obtinuisse. Hanc rem ita memoriae prodidit Tacitus: (a) *Nero solus e primignis erat; illuc cuncta vergeret, filius, COLLEGA IMPERII, CONSORS TRIBUNICIAE*

PO-

(y) *Ant. Pagi Critic ad Baronium Tom. I. ad ann. XI. p. 6.* primus hanc observationem multis rationibus stabilivit, licet plagii eum arguat *Sam. Basnagius. Tillemonius quoque dans l'histoire des Empereurs Tom. I. not. 4. ad vit. Augusti* multis hanc Pagi coniecturam impugnat, verbis tamen potius quam rationibus. (z) *Clemens Alexandr. lib. I. Stromat. p. 339. (a) Tacit. lib. I. Annal. cap. 3.*

POTESTATIS adsumitur, omnesque per exercitus ostentatur. Paulo distinctius tempus signat Velleius Paterculus, (b) *Concusis*, inquit, *hostium viribus, classis perditumque expeditionibus, cum res Galliarum maxime molis accensasque plebis Viennensium dissensiones coercitione magis quam pœna molisset, & Senatus populusque Romanus, postulante patre eius, UT ÆQUVM EI IVS IN OMNIBVS PROVINCIIS EXERCITIBVSq; esset.* (Etenim absurdum erat, non esse sub illo, quæ ab illo vindicabantur, & qui ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem non iudicari parem;) in urbem reuersus, iam pridem debitum, sed continuatone bellorum dilatum ex Pannoniis Delmatisque egit triumphum. Ex hoc Velleii loco simul annum, quo Augustus Tiberium Confortem Imperii adsumpsit, licebit discere. Cum enim hoc eo tempore, quo in Gallia cum imperio fuit, & quidem ante triumphum Pannonicum factum testetur, consequens est, id anno ab V. C. 764. Iulian. LVI. contigisse, cum hoc ipso anno, Dione (c) teste, in Galliam abierit, sequente Romæ triumpharit. Id quod egregie cum Clementis computatione conuenit. Quod si enim ab huius anni V. Kal. Sept. quo Tiberium in societatem imperii admissum Antonius Pagi vltterius probat, numeres viginti sex; incidet in V. Kal. Sept. anni Iul. LXXII, porro adiuice menses VI. peruenies ad V. Kal. Martii eiusdem anni, denique adde dies nouendecim, habebis diem XVII. Kal. Aprilis, anni Iuli LXXXII. quo morari inter homines desit, vt adeo omnino hac ratione annos XXVI, menses VI, dies nouendecim imperauerit.

§. XXVIII. Hanc æram Tiberii proconsularem haut parum confirmant monumenta antiqua, e quibus genuinum eius initium hauriri quam commodissime poterit. Cum enim Velleius Paterculus aperte dicat, Tiberium antequam in

F 3

(b) Vellei. Pat. lib. 2. c. 121. (c) Dion. l. 56. p. 586.

urbem reuenteretur, & de Pannoniis Dalmatisque triumpharet, Collegam imperii creatum esse, monumenta antiqua multum nobis in eo prestant utilitatis, quod verum hujus triumphum paulo ante a nobis descriptum indicant. Sic Numus extat, (c) cujus in antica, Caesaris Augusti vultus exhibetur cum titulo IMPERATOR CAES. AVGVSTVS, in postica Tiberius, curru triumphali insistens cum perigraphe: TI CAESAR AVG F. TR. POT XIII. Qui annus cum illo, quem superiore paragrapho signauimus, plane coincidit. Multo tamen distinctius de hoc triumpho loquuntur Fasti consulares & triumphales, ex marmoribus Capitolinis ab Huberto Golzio editi. (d) Siquidem ad annum Jul. 57. ab Vrbe condita 765. haec occurrunt:

GERMANIC. IVL. TIB. F. AVG. N. CAESAR
C. FONTEIVS. C. F. C. N.
CAPITO

TI IVLIVS. AVG. F. DIVI N. CAESAR.
III. COS. II. PROCOS.

DE ILLVRIEIS PANNONIEIS DALMATEIS
ET GERMANEIS. VI. IDVS. MAI.

Ex his Fastis supputatio nostra quam maxime confirmatur. Fieri enim non potest quin alio anno, quam Julian. 56. in consortium Imperii admissus sit, si anno Jul. 57. triumphauit. Ex eo vero tempore Tiberium praeter Augusti cognomen omnia cum patre communia habuisse, monumenta denuo docent. Sane enim extant Numi, quorum in antica Augustus exhibetur cum titulo: CAESAR AVGVSTVS PATER PATRIAE. In postica Tiberius cum perigraphe TI. CAESAR AVGVSTI. F. TR. POT. XV. Nec minus de communi vtriusque imperio testantur sequentia ex fastis consularibus iisdem deprompta.

C. SILIVS. P. F. P. NEPOS. L. MVNATIVS.
L. F. L. N. PLANCVS
IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS.

ET.
(c) Hubert. Golz. in Fastis magistrat & triumphor. Romanae p. 231. (d) Idem in historia Augusti ex antiqu. numism. restitut. p. 212.

ET. TI. IVLIVS. AVG. F. DIVI. N. CAESAR
REIPUBLICAE CONSTITVENDI POTESTATEM
IN DECENNIVM ACCEPERVNT.

Hæc igitur omnia, quemadmodum de Tiberii Proconsulari imperio satis testantur, ejusque initium consistantur accurate; ita & chronotaxia Christi egregie illustrant. Superiores enim characteres natalis Christi non aliam admittunt computandi rationem, quam hanc ipsam a Proconsulari ejus imperio accessendam. Quod si igitur ab anno Juliano LXX, qui decimus quintus Tiberii fuit a Proconsulari imperio, retro numeraveris annos XXX, denno sese offeret annus Jul. XXXI, ab V. C. 749. quem Christi natalem diximus. Nec putandum est, ita ignotam fuisse hanc Tiberii Epocham, ut eam Lucas quoque ignoraverit, cum non modo Clemens Alexandrinus discrete adfirmet, quosdam suo adhuc tempore ita numerare solitos, sed etiam certo constet, quod provinciales, Cesarum suorum studiosissimi & Romanarum consuetudinum non adeo gnari, plerumque consortes imperii cum veris Augustis pari dignati sint honore, eosque & Reges & Augustos vocarint. Ipsum Tiberium, de quo nunc agimus, viuenti Augusto parem fecit Dionysius Alexandrinus, alias Periegetes dictus. Vbi enim

v. 1051. Poëmatis sui geographici ita cecinerat:

Ἄλλ' εὐωνος κατὰ θεῶν ἀμυμακίτης πῦρ ἔδοντας

Ἀυσονίῳ βασιλῆος ἐπεπερήνηεν ἀκονί.

Veruntamen prelio indomiti quamvis essent, (Parthi)

Ausonii tamen Regis mansuescit hasta.

alio loco ita pergit:

Ῥώμην τιμῆσαν, ἐμῶν μέγαν ὄϊνον ἀνάκτων

μητέρα πασσῶν πολλῶν, ἄφριον ἔλεθρον.

Romam honorabilem, MEORVM magnum domum REGVM

Marem omnium civitatum, diues solum.

Denique ipsos Principes sic salutat:

Ἐκ Αἰδῆς Ἀυσονίῳις αἰεὶ μέγα κοίρανεόντες

E Ioue Ausonii semper strenue dominantes.

His igitur versibus Augustum Tiberiumque simul imperantes intelligi, eo minus dubitandum est, quo certius constat, Dionysium

nysium hunc Periegeten Augusto imperante scripsisse. (c) Quomodo vero Augusti temporibus de pluribus *Ἰσθμῶν* aut *καίγαυεσσι* Romanis loqui potuisset, nisi Tiberium Augusto parem putasset, quippe qui ab hoc confors imperii adsumtus, æquum in prouincias & legiones obtinuerat imperium. Certe qui hæc omnia paullo accuratius, adhibita inconfilium ratione expenderit, hypothesin hanc tam claram atque euidentem esse deprehendet, vt nulla alia cum istorum temporum historia monumentisque concilietur facilius.

§. XXIX. Constitutum nobis initio erat, hypothesin hanc chronologicam ex mente Vaillantii, Auctoris anonymi apud Sarnellum, Rigordi, Pagii, Pezronii, Norissii, Tillemontii, Basnagii, Clerici, aliorumque eruditissimorum huius seculi virorum propositam Patrum quoque suffragiis stabilire, atque cum reliqua vitæ Christi chronotaxi conferre. Sed cum hæc omnia succincta Dissertatio minime capiat, alii occasione fuerit destinanda. Hinc nihil videtur reliquum, nisi vt portum iam respiciamus, actisque summo Numini gratis, vela demum aliquando contrahamus.

(c) Dionysii Periegetæ, alias Alexandrini ætas nescio qua de causa obscura admodum fuit eruditis. Eum *aurealum suum libellum principantibus in oriente scripsisse*, existimant *Bartolus l. 58. Advers. cap. 5. & Salmasius ad Spartian. p. 614. Tom. I. script. Hist. Aug.* sub M. Aurelio & L. Vero vixisse maualt *Voss. L. 2. de Hist. Græc. cap. 5.* Sub Seuero, Caracalla & Geta floruisse contendunt *Sealger in Notis ad Euseb. Chron. n. 2215. p. 228.* quem etiam paulo post se ipsum deferens secutus est *Salmasius Exercitat. ad Solin. p. 411. 628.* Immo *Luitprandus Ticinensis*, confundit hunc Dionysium Alexandrinum cum Dionysio Pontifice Romano, qui præesse cepit anno Chr. 259, quem tamen velut cæcus cæcum hac in re sequitur *Lud. Iacobus a S. Carolo in Biblioth. Pontificia l. 2. p. 63.* merito hinc castigatus a *Gul. Cæue, Parr. 2. Hist. Litterar. p. 31.* Sed dilerte *Plinius L. 6. Hist. Næap. 27.* Hoc in loco, inquit, genitum esse *Dionysium*, terrarum orbis recentissimum auctorem, constat, quem ad commentanda omnia in Orientem promissit *Dionysius Augustus, iuro in Armeniam ad Parthicas Arabicasque res maiore filio.* Quod quum etiam *Eustathius Scholastes* testetur, certo inde liquet, ætatem Dionysii in Augusti tempora incidisse *Conf. l. Alb. Fabricii Biblioth. Græc. l. 4. cap. 1. p. 22. Anton. Pagii Tom. I. Criticæ Baron. p. 8. B. Christi Cellarii. Diss. de Poëtis Scholæ publicæ vtilioribus Halæ 1706. 4to editæ §. 18. 199.*

S. D. G.

ERRATA. Pag. 24. l. 10. pro Septembrem lege Nouembrem. p. 26. l. 19. pro Debris lege Ianuarii.

= 4. Okt. 1979



B 6 13.

8

Schling.
Sallath





SB

v 2008

LD 17







DE
GENVINA
NATIVITATIS
CHRISTI
AERA

DISSERTATIO HISTORICA,
Numis & inscriptionibus antiquis
illustrata,

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORVSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBVRGICO,
ET DVCATVS MAGDEBVRGICI GVBERNATORE, &c. &c. &c.
AMPLISSIMA FACVLTATE PHILOSOPHICA

benevole indulgente
IN ACADEMIA FRIDRICIANA
d. Septembr. clō 1000 VIII.
H. L. Q. C.

Publico examini exponere

PRÆSES

M. IOANNES GOTTLIEB HEINECCIUS,
Eisenberga Osterlandus,
ET RESPONDENS
IOANNES FRIDERICVS KESLERVS,
Magdeburgensis Saxo.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ, LITTERIS SALFELDIANIS.